



Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

11 Vtrum magis sit meritum obedite prælato, quàm facere aliquid ad
dictum fratris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

ideo institutum est, ut decime solvantur ad sustentationem ministrorum ecclesie: sed sacerdotes diues habet alias unde sustententur, ergo non sunt ei decime soluende, & precipue a paupere.

¶ 2. Prat. In multis terris decime non solvantur, quod tamen prelati corrigent, si hoies ex necessitate iuris diuini decimas soluere tenerentur. nō ergo uidetur quod, praesertim pauperes, teneantur soluere decimas diuitibus sacerdotibus.

SED CONTRA est, quod Dominus Matth. 23. dicit, Haec oportuit facere, scilicet iudicium & ueritatem, & illa non omittere, scilicet ea quae pertinent ad decimarum solutionem.

¶ 2. Prat. Luc. 18. Pharisaeus dicit, Decimas de omnium quae possideo.

RESPON. Dicendum, quod sicut Philosophus docet in 5. ethi. Medium iustitiae accipitur nō solum quoad nos, sicut in ceteris uirtutibus, sed etiam secundum rem, quia scilicet in aliis uirtutibus attenduntur diuersae conditiones personarum, secundum quas mediū diuersificatur sicut circa cibos quod est multum uni, est paucum alteri, uel moderatum; sed in iustitia non variatur medium secundum diuersas personarum conditiones, sed attenditur solum ad quantitatem rei. Qui enim emit rem aliquam, debet tantum soluere quantum ualeat, siue a paupere, siue a diuite emat. Reddere autem debitum est actus iustitiae, & ideo ad hoc quod alicui reddatur quod ei debetur, non refert utrum sit diues, uel pauper. Decimae autem sacerdotibus debentur, in communi quidem secundum ius naturale. Naturalis autem ratio dicit, ut illi qui pro populo in spiritalibus laborant, a populo stipendia sua sustentationis accipiant. Et secundum hoc etiam in nouo testamento est iure diuino sancitum. Nam ut dicitur 1. ad Cor. 9. Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, ut de Euangelio uiuant: sed in lege veteri iudiciali precepto taxata est quantitas eius quod ministris Dei est a populo soluendum. scilicet decima & hoc etiam Ecclesia statuit in populo Christiano soluendum: unde cum sacerdotibus decimae debeantur, tum de iure naturali, tum de iure diuino, tum etiam ex statuto ecclesiae, quantum sacerdos sit diues, nihilominus pauper tenetur ei decimas soluere.

AD PRIMUM ergo oportet respondere dupliciter. Vno modo, ut dicatur quod decimarum solutio est instituta non solum ad sustentationem ministrorum ecclesie, sed etiam ad sustentationem pauperum, quibus debet de domo Dei prouideri, unde dicit Malac. 3. Inferte omnem decimationem, ut sit cibus in domo mea, & sic sacerdoti, qui non solum sibi, sed pauperibus prouidere debet, quantumcumque diuiti sunt decimae necessariae. Alio modo, potest dici quod necessitas sustentationis ministrorum fuit ratio ecclesiasticae institutionis de decimarum solutione: sed ex quo officium est alicui debitum per statutum ecclesiae, nihilominus ei debetur, quamuis sit diues.

AD II. dicendum, quod sicut Paulus laudabiliter nō exigebat sumptus, qui sibi propter praedicationem euangelii debebantur, ne quod impedimentum fieret euangelio, aut scandalum fidelibus Christi, non tamen illi peccabant non ministrantes sumptus, quos Apostolus sibi debitos remittebat: ita et prelati ecclesiae laudabiliter faciunt non exigendo decimas in terris illis, in quibus propter consuetudinem timent scandalum generari: nec peccant illi qui non solunt decimas in terris illis, in quibus nō est consuetum: peccarent autem si obstinate exigentibus

A dare recusarent, & ideo ut huic peccato obuiet sacerdotes, in terris illis non exigunt decimas.

QUESTIO VI.

DEINDE quaesitum est de actibus charitatis. ¶ Et primo, De obedientia, utrum sit magis meritorium obedire prelato, uel facere aliquid ad dictum fratris.

¶ Secundo de eleemosyna.

ARTICVLVS XI.

B Verum magis sit meritorium obedire prelato, quam facere aliquid ad dictum fratris.

CIRCA primum sic proceditur. Videtur, quod magis sit meritorium obedire prelato, quā facere aliquid ad dictum fratris. Maiori enim merito maius detrimentum opponitur: sed magis demeretur ille qui est inobediens prelato, quā ille qui non assentit dicto fratris, ergo & magis meretur aliquis obediendo prelato, quā assentiens dicto fratris.

SED CONTRA. Vbi est maior humilitas, ibi videtur esse maius meritum, quia humilibus dat Deus gratiam, ut dicitur Iacob. 4. sed maioris humilitatis videtur esse, quod aliquis aequali se subiciat faciens aliquid ad dictum eius, quam quod aliquis subiciat se superiori obediens prelato: ergo magis uidetur esse meritorium, quod aliquis faciat ad dictum fratris, quā quod obediatur prelato.

RESPON. Dicendum, quod aliquis actus potest dici magis meritorius dupliciter. Vno modo ex genere operis, & sic ille actus est magis meritorius, quod est excellentioris uirtutis. Manifestum est autem quod laetitia, per quam aliquis seruit Deo, est excellentior uirtus quam beneficentia, qua quis satisfacit proximo, sicut & diligere Deum est magis meritorium, quam diligere proximum. Quod autem aliquid fiat ad dictum fratris, pertinet ad amicitiam, uel beneficentiam, qua quis diligit proximum: quod autem obediatur prelato in quantum est Dei minister, pertinet ad religionem, qua quis colit & diligit Deum: & ideo magis est meritorium quod aliquis faciat aliquid obediens prelato, uel seruans uotum, quam si aliquid faciat ad dictum fratris. Alio modo, potest dici aliquis actus magis meritorius ex eo quod procedit ex maiori charitate, licet sit minor ex suo genere, & sic nihil prohibet magis mereri illum qui facit aliquid ad dictum fratris.

Primum ergo concedimus.

AD SECUNDUM Dicendum, quod ille qui facit aliquid ad dictum fratris, facit propria sponte, unde minoris humilitatis esse videtur, quā quod aliquis obediatur prelato tanquam superiori.

QUESTIO VII.

DEINDE quaesitum est de eleemosyna.

¶ Et primo, De eleemosyna clericorum.

¶ Secundo, De eleemosynis quae fiunt pro mortuis.

ARTICVLVS XII.

Verum clerici peccent mortaliter, si ea quae eis superflua, in eleemosynas non largiantur.

CIRCA primum sic proceditur. Vt quod clerici peccent mortaliter, si ea quae eis superflua, in Quodlib. S. Tho. F. elec-